

S V B S E C T I O N I V.

Vnde sumatur unitas motus, stabilitur.

Cum possit esse difficultas, tam de unitate generica, quam specifica, ideo de utraque saluetur quæstio proposita, vide-
licet an sumatur à termino à quo, vel à termino ad quem, videli-
cet an à termino, vndè incipit motus, qui terminus à quo voca-
tur, an verò à termino ubi, vel ad quem terminatur motus, qui
terminus ad quem propterea vocatur.

Pro motus specificatione, notandum est, vnamquamque rem formaliter & intrinsecè a sua entitate specificari; v.g. homo ab anima rationali & suis intrinsecis prædicatis; at ego hic non quero de hac ratione intrinseca specificatiua motus, sed de extrinseca, videlicet illa, a quibus tamquam terminis, relatio trascendentalis specificationem suam desumit, non formaliter & intrinsecè, sed arguitiè & consequenter, sicut visio specificatur ab obiecto, materia prima à forma, & relatio iuxta Angelicum Doctorem a fundamento & termino. id ergo quod quæritur, hoc est. Vtrum ex diuersitate termini agentis & passi, arguatur ratio, siue diuersitas specifica actionis, ita ut arguere possimus tamquam a signo [tendunt duæ actiones ad terminos, vel agentia specie distincta] ergo distinguntur specie ipsæ actiones?

30. Non est dubium, diuersum modum tendendi in terminum sufficere ad diuersitatem specificam actionum, quamvis sint ab eodem agente, & in eundem terminum; vt actio, qua Deus crearet formam materiale ignis v.g. distingueretur species ab actione, qua Deus formam illam eandem produceret per generationem, sicut ex diuerso modo tendendi differunt simplex apprehensio, & iudicium, quamvis sint ab eodem intellectu, & de obiecto. Verum est quod hæc est specificatio intrinseca, de qua non procedit quæstio, sed difficultas est de extrinseca differentia.

31 Conclusio ergo prima pro me sit in hac materia, scilicet quod sola distinctio specifica terminorum aliquando satis est ad motus distinctionem specificam ad illos terminos specie diuersos terminatos.

32 Probo conclusionem; sicut visio albedinis & nigredinis species distinguitur, quia obiecta, siue termini species distincti sunt;